ILLVSTRISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO

VVILHELMO

Hassiæ Landgrauio,

COMITI CATINELBOCI, DECIÆ, ZYGENHAINÆ ET Niddæ, &c. Reginæ, Regnique SVECIÆ Generali, Germanicæ libertatis Defensori acerrimo, Bonorum Studiorum fautori & promotori singulari,

Domino meo Clementissimo:

MAGNVM quidem esse ingenue fateor, Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine clementissime, quod T. Celsitudinem

pauculis hiſce adire & Chymiatrico hoc munuſculo ſalutare audeam. Sed ſi res æqua rationis ponderetur lance, propendere meum inſtitutum liquido apparebit. Cognitum namque eſt & more peruulgato receptũ, quod cuncti, qui opus aliquod in lucem publicam emittere contendunt, illud Magnati & Mæcenati cuidam ſummo, aut amico Pyladæo, aut Patrono inſcribere & conſecrare ſoleant, idq; quatuor principaliter ob cauſas; *Vt* nimirum hoc ipſo non modo ſua nomina, ſed & ipſius patroni memoriam immortalitati quaſi deuoueant. Deinde vt patrocinium aduerſus liuidos caninoſque dentes, qui ſemper Theoni-

no dente aliena rodere ſolent, ſua vero cernere, ac nihil, niſi quod ipſi faciunt, rectum putare aſſolent, ſibi comparent & acquirãt. Vt porro illuſtre aliquod operi ipſi præfixum nomen ſit, inſtar hederæ, ſub cuius ſigno, tanquam generoſum vinum repoſcatur, collaudetur & vendatur. Vt tandem obſeruantiæ & gratitudinis debitæ pro acceptis beneficiis teſtandæ publicum ſit monumentum, & patroni humanitas & munificentia eluceſcat.

Hæ ipſæ cauſæ & me impulerunt vt T. C. praxin hanc chymiatricam parentis mei piæ memoriæ inſcribere & conſecrare animum inducerem. Nam ſi tã-

ta tamq; varia in parentem meũ piæ memoriæ, inque me collata ingentia beneficia Alexandrina recenſere vellẽ, dedicatoria hæc in volumen concreſceret. Quare vt aliqua ex parte ſaltem, (quandoquidem ex toto impoſſibile eſt) gratum me erga T.C. exhibeam, praxin hanc Chymiatriciã inſcribo, dico, dedico & conſecro, ſubmiſſe rogitans, vt ſub T. C. patrocinio prodire, permittere & contra aduerſorum Miſochymicorum obtrectationes & calumnias praxin hanc ea, qua pollet authoritate & poteſtate, defendere velit. Valeat T.C. ad Neſtoris annos ad Dei gloriam, Reipublicæ Chriſtianæ, libertatis Germanicæ defenſionem, patriæ

prote-

protectionem, sub indesinenti DEI Ter. Opt. Max. tutela, qui solus gubernationes felices efficere potest, qui sapientiam, per quam principes regunt, fortitudinem, per quam hostibus Ecclesiæ & libertatis germanicæ se opponunt, oppugnant, largitur. Cassellis Anno 1633.

Ill^mæ Celsitudinis

Subiectissimus & obseruantissimus cliens

Georgius Euerhardus Hartmannus Philochymicus.